Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1559
Quelle:
Copyright:

humo tollere &c. 5) *De Patre et duobus filijs.* Init: *Omnium quidem de scripturis questionum absolucio* &c. 6) *Ad Neophitos.* Init: *Benedictus deus* &c. Εὐλογητὸς ὁ Θεός. ἰδοὺ καὶ ἀπὸ τῆς γῆς &c. A *Maurianis*, ut spuria, praetermissa. 7) *De Nativitate domini.* Infit: *Et reclinavit eum in presepio* &c. *Et reclinauit eum mater eius. Joseph enim non audebat attingere* &c. 8) *De Lazaro suscitato.* Infit: *Grandi fratres stupore, grandi miraculo* &c. 9) *De sancto Job.* Infit: *Veruntamen fratres karissimi, intendat caritas vestra, quod dico. Quoniam audiuimus librum sancti Job.* &c. Fortassis ex his quaedam ad alium Homiletam graecum aut latinum pertineant.

III. *fol.* 97. Ejusdem, ut e calce adsumo, *Tractatus de reparacione lapsi valde bonus et vtilis.* Initium: *Quis dabit capiti meo aquam* &c. Est Liber *prior* ad *Theodorum*, qui extat Edit. *suprac.* T. I. p. 1. et a me utroque *Vol.* non semel relatus est.

IV. *fol.* 114. *Incipit tractatus Crisostomi de conpunctione cordis.* Liber videlicet ad *Demetrium*, cujus initium: *Cum te intueor beate Demetri frequenter insistentem michi* &c. Jam et alibi a me indicatus, et insertus T. I. *suprac.* p. 122. In *Codice* deest sub finem Textus ille: *Non enim omnis* &c. *Matth.* 5. 19. et statim sequitur Liber alter ejusdem argumenti ad *Stelechium* fine inscriptione: *Et quomodo fieri potest, o homo dei* &c. qui et ipse in Editis p. 140. succedit.

V. *fol.* 129. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, *domini Hugonis de modo orationis.* Initium: *Domino et patri T. h. munusculum hoc dilectionis mee* &c. Editus cum ceteris *Hugonis* ad S. *Victorem Paris.* Canonici Reg. Scriptis *Rothomagi* 1648. T. II. p. 238. f. ubi in *Capita* VIII. divisus est, nobis continuus. In Edit. pro *T. h.* habetur *Charissimo H.*

VI. *fol.* 133. Miscella ex omni Theologia lecta in formam *Libri* constantis *Capitibus* CC. quorum *Index* ad calcem praesto est, et inter quae etiam *Sermones* et *Epistolae* quaedam censentur. Titulus abest; *Caput* autem I. inscribitur: *Exhortatio breuis de ceco illuminato* et incipit: *Audita in euangelio ceci nati illuminacio docet, ut nos, in quorum voce psalmista dicit: Dereliquit me lumen oculorum meorum* &c. Profundius lectionem ingressus ad *Hugonem de S. Victore* Miscella nostra referenda esse comperi. *Caput* namque X. inscriptum *de quinque septenis* me ad ejus *Allegorias in Matthaeum*, atque adeo ad Edit. *supracit.* T. I. p. 303. deduxit. Vidi tamen, multa in *Codice* nostro congesta desiderari in Editis, alia per omnem Editionem vagari. Ita v. g. *Caput* nostrum LIII. *de spirituali Cithara* T. I. inter *Annotationes elucidat. in Psalmos* legitur p. 71. *n.* LXV. *Caput* nostrum LXXXV. *de tribus Viis* legitur